15

DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM XIV.

PONT. MAX.

A

FR. XISTO SFORTIA CESARINI

EQUITE HIEROSOLYMITANO,

Collegii Clementini Convictore.

VITTORIO EMANUELE IN ROMA



ROMÆ, Typis Bernabò, & Lazzarini, MDCCXLVIII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

XISTUS SFORTIA CESARINI

FELICITATEM.

BREVEM *hanc Orationem, quæ ab argumenti magnitudine vires ſibi comparat, & ornamentum, ve-*

Digitized by Google

nerabundus, & ſuplex tuo nomini inſcribere, ejuſque patrocinio ſiſtere audeo, BEATISSIME PATER. *Scio tuis oculis eam ſubjicere mihi declinandum, poſtquam aurium tuarum judicium effugere felici eventu contigerat. Si enim coram Te verba proferre cuique licet eloquentiſſimo res gravis eſt, atque ardua nimis, ego, qui a propoſito Auguſtiſſimæ* TRINITATIS *argumento deflexiſſe videor, quod inveſtigabiles Dei vias minime auſus ingredi, de tanti Myſterii laudibus conticuerim, etſi Te habere non potui auditorem, exilem hanc, & ineffabilis arcani dignitati imparem Orationem Tibi offerre*


Digitized by Google

ferre pertimeſcendum intelligo. Verum quod maxime facit, ut aut timor, aut ſuſpicio tollatur; eſt illa tua ſingularis humanitas, qua concedis hominum nemini, quaque etiam in altiſſimo collocatus honoris gradu ſingulos Tibi devincis. Hæc me recreat, ac reficit, hæc ad bene ſperandum vehementer excitat. Interim, cum parvam hanc Orationem, meque totum, Collegiumque noſtrum tuarum virtutum obſervantiſſimum, tuo favore ornatiſſimum, meo, omniumque nomine Tibi Patrono beneficentiſſimo addico, abunde votis meis conſultum fore putabo, ſi me, quod humillime de-

deprecor, ad tuos provolutum pedes Apoſtolica Benedictione dignabere.

ORA-

Digitized by Google



ORATIO.

ETsi, Beatissime Pater, de Auguſtiſſimo Trinitatis Myſterio, quod abſconditum eſt a ſæculis, nulla mens ad cogitandum, nulla ad loquendum lingua ſufficiat, de iis tamen, quæ ad fidem noſtram fovendam, confirmandamque opportuna exiſtimari poſſunt, hodierna luce præ cæteris jucundiſſima videtur eſſe dicendum. Et ſane cum unam, eamdemque trium Perſonarum Divinam Naturam, omnes, qui recte de Religione ſenſerunt, jam inde ab initio profeſſi ſint, eamque afflata Divino Spiritu Catholica doceat Eccleſia, quid jucundius dici, aut com-

Ad Coloſ. 2.

S. Leo ſerm. 3. de Pentec.

Digitized by Google

commemorari poteſt, quam Hæreticorum, qui, ne tres Hypoſtaſes unius naturæ crederentur, tot diſſidia excitarunt, errores, & mendacia ſtrictim, breviterque percenſendo refellere? Ab eo itaque Apoſtolorum tempore, quo jam longe, lateque ubique terrarum Chriſtiana Religio diffundebatur, memoriam repetens, video hæreſim erupiſſe, qua deinde Noetus, & Praxeas natura adeo ſimplicem Deum eſſe, ut quamcumque Perſonarum diſtinctionem renuat, nefarie contendebant. Quem errorem Sabellius majori partium ſtudio, atque animorum contentione pertinaciter tueri adortus, pernicioſiſſimam doctrinam in multorum animis diſſeminavit. Sed veritatis lumen, etſi undique cinctum tenebris, ſplendidiſſimo candore, quaſi fulgur ex mediis nubibus, eluxit. Nam peſtis ea, quæ jam per diverſas Orientis plagas miſere graſſabatur, per Orthodoxos primum Antiſtites, Silveſtri deinde, Damaſi, & Agathonis Pontificum ſumma cura, ac vigilantia penitus extinguitur, & profligatur. Nihil enim umquam tam a Catholica Fide alienum, nihil Chriſtianis auribus abſonum eſt viſum, quam hæreſis illa, quæ TRINITATEM negaret, Perſonarumque diſtinctionem rejiceret, & ea tantum nomina ad di-

S. Ignat. ep. 8.

S. Epiph. hareſ. 57.

Idem hareſ. 62.

In Synod. Alex. 1. & 2.

In Conſtantinop. 1. & 6.

diverſos Divinitatis effectus inſinuandos diceret eſſe compoſita. Nolo hic renovare memoriam illius temporis, quo Ariana factio omnia ita miſcuerat, ut totus Orbis miratus ſit ſe eſſe Arianum. Dicam tamen teterrimam Arii hæreſim, quæ ab Ægypto orta Syriam, Aſiam, Traciam, Græciam, Italiam, Galliam, aliaſque complures Provincias, ac Regna pervaſerat, compreſſam, ac pene deletam fuiſſe doctrina, ſanctitate, & conſtantia Patrum, qui in celeberrimo Niceæ Conventu Homouſion, Patrique conſubſtantialem Dei Filium conclamantes, adeo præclariſſimo Fidei Symbolo Catholicam veritatem illuſtrarunt, ut illud merito appellarit Athanaſius trophæum, & columnam, *in qua omnes hæreſes oſtentui inſcriptæ ſunt, & triumphantur*. Jam vero quid vacat referre tot alia, quæ in Auguſtiſſimum TRINITATIS Myſterium oblatrarunt, monſtra, Eunomium, qui Filium, qui eſt imago Dei inviſibilis, diſſimilem eſſe Patri profeſſus eſt: Macedonium, Græcoſve nonnullos, qui adverſus Spiritum veritatis impuriſſimo ore ſunt oblocuti: necnon recentiorum temporum ex hujuſmodi grege homines, qui maxima tetri ſpiritus ubertate perfuſi hæreſim jam ab Eccleſia damnatam, feliciterque deletam

Hieronym. adverſus Lucif.

Ex Nicen. Symb.

In Epiſt. ad Epiſc. Afric.

Ad Coloſ. 1.

Bellar. in præf. lib. 1. de Chriſto.

letam auſi ſunt iterum in lucem revocare. Verum irriti ſemper conatus, irritæ eorum machinationes, & auſus fuere in eam Eccleſiam, quæ Chriſti manu ſuſtinetur, Chriſti præſidio armatur, Chriſti virtute fulcitur, Chriſti ſapientia regitur. Hinc veterum Sanctorum Patrum, qui ex Oriente Conſtantinopolim, quique Romam eodem tempore ex Occidente convenerant, atque etiam ſubſequentum ſæculorum una vox fuit, ac conſenſio, unum Deum in TRINITATE, & TRINITATEM in Unitate colendam. Quare cum hæc trium Perſonarum unius Naturæ confeſſio ſit contra Catholicæ Fidei hoſtes præcipuum robur, ac fundamentum, Patrem omnipotentem, qui ab alio nullo manat, Unigenitum Filium, Sanctiſſimumque Spiritum ab utroque procedentem enixe deprecemur, ut quos error a veritate abduxit, eos bonus ille Paſtor, qui oves perditas ad quærendum venit, rurſus collectos aggreget, & in unum cogat, unde omnes uno ore, uno animo, una ſententia eamdem in triplici Hypoſtaſi Naturam venerentur.

In Conc. Conſtantinop. 1.
In Conc. Rom. ſub Damaſo.

FINIS.

Digitized by Google